

„ Collegia jus presentationis habere noscuntur, eorum „ Abbates, aut per se, aut per *litteras* personas idoneas Episcopis Diocesani presentent. „ Quae consuetudo non „ improbat.

XXXI. Imo consuetudo presentandi per litteras adeo hodie comprobata & recepta est, ut nonnulla nisi per litteras hodie admitti soleat: debentque Litterae presentationis in forma authentica, non secus ac litterae Collationis expediri; moneturque Claudius Horrii in suo novo tractatu de materiis Beneficialibus pag. 149. *edit. 1695.* litteras etiam presentationis expediendas esse per Notarios Regios-Apostolicos constitutos Edicto Regis Galliae in Decembri 1691, cujus supra meminimus.

XXXII. Verum ut presentatio sit perfecta, suumque effectum habeat, non sufficit, litteras presentationis esse legitime expeditas, & acceptatas; sed requiritur, ut presentatio facta sit a presentante, & realiter exhibita Ordinario vel ut loqui solent Pragmatici, ut *pulsaverit aures Ordinarii.* Presentationis enim verbum refertur ad alium, sive sonat alique alteri presentati. Unde Ordinarius merito dicitur terminus ad quem ipsius presentationis. Neque dicenda est presentatio antequam sit facta Superiori, sed simplex tantum *preparatio.* Quare presentationem definit Rochus De Curte in presentatione ad titulum *De Jure Patronatus num. 4.* post Panormitanum, quod „ sit exhibitio quaedam facta de Clerico presentate sensibus corporis „ illius cui fit presentatio.

XXXIII. Observat tamen ibidem Rochus verbo, *Honorificum num. 32.* quod „ valeat presentatio facta per „ instrumentum in absentia Superioris, si presentatus infra „ 4. menses deferat illud instrumentum ad Superiorem, & „ ipsum coram eo presentet; quod (ait) quotidie contingit.

XXXIV. Quamdiu ergo presentationis litterae Ordinario, sive illi cui jus instituendi competit, exhibita non sunt, adhuc informis est presentatio; potestque non tantum laicus, sed & Ecclesiasticus Patronatus variare; idque non solum accumulando secundam presentationem priori, sed etiam a prima in toto recedendo; quemadmodum uno consensu notant Canonistae ad *Cap. 25.* *De Jure Patronatus*, ubi fat innotuit, tum demum variationem interdictam Patrono Ecclesiastico, postquam idoneum Clericum Episcopo presentaverit, Concluduntque ulterius, ante presentationem Ordinario exhibitam, nullum jus esse presentato quaesitum; demumque litteris presentationis Ordinario exhibitis, *jus ad rem* presentato quaesitum esset.

XXXV. Quinimo Patronum Ecclesiasticum posse a Papa praeveneri, quamdiu presentatio *aures Episcopi non pulsaverit*, tamen si litterae presentationis fuerint expeditae; quin & presentato traditae cum expresse mandato, ut eas mox Ordinario exhiberet, isque eas tradere neglexerit, frequenter judicatum refert Broudeus in notis ad Lovetium *litt. P. num. 25.* hancque sententiam hodie esse in foro receptam testatur.

XXXVI. Denique ex hisce conficitur, quod non sufficiat, ut Patronatus infra tempus datum ad presentandum expedierit litteras presentationis; sed requiratur, ut infra illud tempus realiter ipsa presentatio fiat Ordinario; aliis si litterae presentationis non fuerint exhibitae, poterit Ordinarius elapso termino dato ad presentandum, *libere conferre.*

XXXVII. Si plures sint Patroni, ipsique Collegium aut corpus aliquod constituent, ipsumque Jus Patronatus Corpori, sive ipsis tamquam Corpus constituentibus competit, tunc presentatio fieri debet *collegialiter.* Neque valeret presentatio extra Collegium facta, tamen eam singuli de Collegio probassent. Quia quod singuli extra congregationem faciunt, dici nequit a Collegio seu Corpore factum.

XXXVIII. Et revera dum presentatio ad plures ut Col-

legium seu corpus spectat, praecedat presentationem faciendam Ordinario quaedam species electionis personae presentanda: in qua electione, ea, quae in electione *collativa* Canones observari praecipiunt, quoque ferè observanda sunt: v.g. quod omnes convocandi sint; quod unus neglectus possit presentationem irritam reddere, eo quod neglectus sit &c. conformiter ad ea quae supra *tit. 21. cap. 3.* dicta fuerunt.

XXXIX. Sin autem Jus Patronatus competat pluribus *divisim* sive *ut singulis*, tunc etiam separatim presentare possunt; nec requiritur, ut consensus ipsorum eodem tempore praestetur; imò nonnumquam per diversa instrumenta separatim presentationem facere possunt, aut per idem instrumentum, sed diverso tempore a singulis signatum.

XL. Contingere potest, ut de persona presentanda inter Patronos non conveniat. Ad evitanda autem incommoda ex hac dissensione nata oriri, permittitur in *Clom. 2.* *De Jure Patronatus*, ut „ plures ad vacantem Ecclesiam „ possint eo modo presentare personas, quod una ex eis eligi per Episcopum valeat & admitti.

XLI. Et id quidem, si a singulis Patronis unus presentetur; at si ad plures quam duos presentatio spectet, tunc qui a pluribus presentatur ceteris preferendus erit, juxta Decretum Concilii Lateranensis in *Cap. 3.* *De Jure Patronatus*; debetque, quemadmodum in electione, etiam & hic ex majori suffragantium parte concludi.

XLII. Quod si Patroni jure suo singuli uti volentes, sive ut loquitur Concilium Lateranense, *pro sua defensione* plurimos presentent; nec ille qui majoribus meritis, & pluribus suffragiis juvatur, sine scandalo ab Episcopo institui queat, tunc vult Concilium Lateranense, ut *ordinet Antistes Ecclesiam, sicut melius secundum Deum videtur ordinandam.*

Modos, quibus secundum Canones Antistes providere possent, notat Franciscus Le Roy in Commentario ad *Cap. 3.* una addens quid moderna praxis in simili casu observet. „ Hodie (ait) plures presentati apud Regios Judices „ agunt invicem, vel interdicto uti possidetis, vel unde vi, & „ celeriter aut alteri ex iis adjudicatur *recidentia*, ut loquantur, vel Judices illi eum in pleno possessorio tuerentur: vel sequestrant contraversam Ecclesiam, ut in *Cap. 15.* *De Jure Patronatus*. seu ejus curam committunt alteri cuidam extraneo Clerico.

XLIII. Ubi autem contingit inter plures controversiam moveri, cui Jus Patronatus competat; atque ob eam controversiam diutius differtur provisio Ecclesiae, rescribit Lingonensi Episcopo Alexander III. in *Cap. 12.* *De Jure Patronatus, fas ei sit, appellatione remota in eadem* (Ecclesia) *personam idoneam instituere.*

Cum hic Alexander III. nullum tempus certum definiat, intra quod terminandae sint hujusmodi lites, & quamdiu expectandum sit, antequam Episcopus suo jure personam idoneam instituere queat, merito suspicatur Le Roy ad hoc Capit. illud Alexandri Responsum praecessisse Concilium Lateranense sub eodem Pontifice celebratum; quandoquidem in hoc Concilio praescripti sint *quatuor* menses intra quos lis sit terminanda; intra quos si terminata non fuerit, tunc demum Episcopus Ecclesiam ordinare poterit, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam; uti refertur in citato *Capitulo 3.*

Conformiter ad hoc Decretum Concilii Lateranensis respondit Innocentius III. Episcopo Conventensi; „ si de „ Jure Patronatus quaestio emerit inter aliquos: & ab „ eo cui competit; intra *quatuor* menses non fuerit definitum, ex tunc Ecclesiam non differas de persona idonea „ ordinare.

Hinc imprimis concludunt Canonistae, tempus praescriptum ad presentandum etiam currere *litis pendente*: cum tamen juxta communes Juris Regulas, contra *non valentem agere*, non curat praescriptio; hic autem Patronus pra-

presentare non poterit: quare id favore Ecclesiarum, ne ob diffidia Patronorum diutius vacarent, specialiter introductum esse notat Joannes Andreas & fat innotuit Innocentius III. in integra Decretali de qua desumptum est citatum Capitulum 27. in verbis: *Cum propter discordias laicorum non debeat Ecclesia praevincum generari &c.*

XLIV. Verum Decretum Concilii Lateranensis locum non obinebit, si controversia sit inter ipsum Episcopum & Patronum: ut si Episcopus pretendat, Clericum sibi presentatum ex causa non esse admittendum; aut certe Ecclesiam Patronati non esse subjectam; sed ad se *pleno* jure spectare. Si enim hisce in casibus ob pendantem litem Patronus privaretur jure presentandi; esset quodammodo in potestate Ordinarii semper jus presentationis, hujusmodi litem suscitando & protelando, excludere, uti rectè advertit Le Roy ad *Cap. 3.* *De Jure Patronatus.*

XLV. Praeterea si lis quidem sit inter duos super jure presentationis; sed alter sit in quasi possessione presentandi, hic indubie presentare poterit; unde & tunc quaestio cessat; quemadmodum monet Hostiensis ad citatum *Cap. 3.* Adeoque ut Decreto Concilii Lateranensis locus sit, debet supponi, neutrum ex contenditibus esse in possessione, quod difficile videtur, inquit ibidem Hostiensis: maxime hodie, quando controversia super Jure Patronatus praesertim laico, instituitur coram Judge Regio; qui facile alteri, si non *pleno* possessorio; saltem *momentaneo*; sive *recidentiam* adjudicabit.

XLVI. Denique si sufficienter constet, Ecclesiam esse Patronatam; sed quaestio dumtaxat sit, utri de duobus jus presentandi competat; si uterque salvo suo jure in eandem personam consentiat, institutio neganda non erit; quod jam pridem suppositum videtur Synodus Oxoniensis anno 1222. *Can. 5.* statuens quod si ob pendantem litem post *quatuor* menses nullus fuerit presentatus, „ Episcopus nulli Ecclesiae, am illam conferat pro hac vice, nisi de *utrimque* Patroni „ consensu, ne saltem aliquale praevincum alteri Patrono „ rum videatur generari, si postmodum evicerit Jus Patronatus.

Quinimo hodie passim obtinuit, ut Patronis dissentientibus, si a singulis diversi presententur, omnibus institutio detur, sine alterius praevincum; qui habita institutione, solent sibi in possessorio apud Judices Regios providere: uti supra notatum est.

CAPUT VI.

De Jure alimentationis, & superintendentia Patronis competentibus.

1. *Justum est ut qui temporalia sua Ecclesia obtulerunt, etiam ab ipsa adjuventur.*
2. *Id probavit Concilium Toletanum; voluitque Fundatoribus in necessitate succurri.*
3. *Jure Decretali Fundatori debetur alimentatio.*
4. *Id ipsum probat Pontificale Romanum.*
5. *Alimentatio haec non debetur merè intuitu paupertatis; & debet esse largior, quam in alios pauperes.*
6. *Amplius debetur ei qui amplius contulit.*
7. *Quid in determinanda subventione Patrono debita sit attendendum.*
8. *Jus ad alimentacionem non debetur titulo juris praesentationis, sed fundacionis.*
9. *Alimentatio debetur in casu inopiae, licet in fundacione non sit reservata.*

10. *Potest Fundator sibi vel successoribus pensionem reservare.*

11. *Quin & extraneo pensionem solvendam reservare potest.*

12. *Potest & cavere ut fructus vacante Ecclesia sibi cedant.*

13. *Fundator potest leges apponere; & executioni earum, & conservacioni honorum invigilare.*

14. *Si Episcopus ultra portionem competentem rebus Ecclesia accipiat, potest Fundator contra ipsum agere.*

15. *Sacerdotes non administrantes bona juxta intentionem Fundatoris, à Patronis monendi, & Episcopo vel Judici deferendi.*

16. *Episcopus Metropolitano, Metropolitanus Regi.*

17. *An sine consensu Patroni bona Ecclesia alienari, aut gravari queant?*

18. *Quando de conservandis fundacionibus agitur, hodie ad Regios Judices recurri solet.*

19. *Etiam circa celebrationem Divini Officii Patronis invigilare possunt.*

20. *Decretum Concilii Tridentini his in speciem contrarium.*

21. *Quomodo Tridentinum hic receptum?*

22. *Concilium Tridentinum curam Patronorum circa observacionem fundacionis non excludit.*

23. *Patroni praetextu inuisionis nihil in Ecclesia usurpare possunt.*

I. **I**gnium planè justumque jam pridem judicavit Ecclesia, ut iis qui sua temporalia liberaliter sibi obtulerunt, ipsis quoque specialiter in temporalibus succurrat ubi eorum requirit necessitas, quemadmodum rectè exposuerunt Patres Concilii Toletani IV. *Can. 38.* cujus fragmentum recitat Gratianus *Causs. 16. q. 7. Can. 30.*

II. „ Præbendum est (ait Canon) à Sacerdotibus vita; „ solatium indigentibus; & maxime his quibus restituenda „ vicissitudo est.

Hinc deinde tanquam consequens inferit: „ Quicumque „ ergo fidelium de facultatibus suis Ecclesiae aliquid devotione propria contulerunt, si forte ipsi aut filii eorum redacti fuerint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vita; pro temporis usu percipiant.

Decreti sui aequitatem probantes subjungunt: „ Si enim „ Clericis, vel Monachis, seu peregrinis, aut quantalibet „ necessitatem sustineatibus, pro solo religionis intuitu, in „ usum res Ecclesiasticae largiuntur, quanto magis his „ consulendum est, quibus retributione justà debetur.

III. Ad hunc Canonem respexit Pontifex in *Cap. 23.* *De Jure Patronatus* scribens: „ Pro fundacione quae „ Ecclesiae honor processionei fundatori servatur, & „ si ad inopiam vergat, ab Ecclesia illi modestè (vel ut alia „ lectio habet, moderatè) succurritur, sicut in sacris est „ Canonibus institutum.

Ex citato Canone, & hac Decretati receptum est, Fundatoribus sive Patronis ad inopiam redactis ab Ecclesia Patronata ratione factae fundacionis alimenta deberi.

IV. Unde & ex praescripto Pontificalis Romani, Episcopus, facta Ecclesiae consecratione, dicit ad Fundatorem, quod si Fundator aut ejus haeredes „ casu ad egestatem per- „ venerint, gratà recollectione, Ecclesia Fundatoris pia „ liberalitatem recognoscit.

V. Porrò tum ex Canone Toletano, tum Decretali Pontificia manifestum est, Fundatoribus sive Patronis subventionem illam non tantum deberi intuitu *paupertatis* sed praecipue intuitu *beneficentiae* in Ecclesiam collatae; ut proinde rectè moneat Rochus de Curte *De Jure Patronatus* verbo *Et utile*, sequutus Glossam, „ Quod teneatur Eccle-

„sua Patronata ex redditibus ultra necessaria remanentibus alere Patronum *pinguius*, quam alios pauperes.“ Et ibidem numero 2.

VI. Eodem fundamento deducit post alios citatos Canonistas, si plures sint Patroni, omnibus quidem esse subveniendum, „deberi tamen magis subveniri ei qui *plus* contulit in fundando vel dotando Ecclesiam, licet Jus Patronatus ad singulos pertineat in solidum.

VII. Debent autem praestari alimenta secundum qualitatem Patroni, tam in vestibus, quam in cibo, uti *n. 4.* aliis relatis docet de Curte. Addendum tamen *spectatis Ecclesiae Facultatibus.*

Nam in determinanda subventione Patrono debita ipsas Ecclesiae facultates attendi debere unanimiter docent Canonistae sequenti Glossam ad *Cap. 25. De Jure Patronatus*, ubi ad verbum *modeste* ait: „Habito respectu ad facultates Ecclesiae, & ad qualitatem personae.“ Quare Cardinalis Florentinus, quem sequitur de Curte *num. 2.* hanc quaestionem, „An teneatur Ecclesia in casu indigentiae alere Patronum in domo propria ipsius Patroni, an possit Rector Ecclesiae dicere Patrono, venias ad manducandum *mecum*, resolvit dicens: Considerabitur persona Patroni, & ejus indigentia, & conditio Ecclesiae, quibus attentis aletur in Ecclesia, vel extra.

VIII. Caeterum, quia hoc jus Patroni fundatur in munificentia, quam ab ipso ejusve parentibus aut Majoribus Ecclesia accepit, & quam recognoscere justum & aequum judicatur; sat patet, Patroni jus hoc non competere ratione juris praesentationis, sed titulo *fundationis* vel *dotationis*: ideoque hoc jus Fundatori competet, tamen si jus praesentationis transfulerit in Ecclesiam vel aliam personam, vel eundem renuntiaverit. Et de converso, si Ecclesia alicui simpliciter jus praesentandi, citra fundationem aut dotationem dederit, simili Patrono jus hoc alimentationis non competere, uti nec alia jura honorifica, judicatum refert Joannes Torneius in sua Collectione Arrestorum *lit. P.*

IX. Porro haec subventio sive alimentatio in casum inopiae debetur Patrono sive fundatori independenter ab ulla reservatione facta in ipsa fundacione, id est, tamen si in ipsa fundacione Fundator nihil sibi circa temporalia reservaverit, sed debetur ipso jure.

X. Possit enim Fundatorem vel sibi vel successoribus pensionem aliquam annuatim etiam extra necessitatis casum solvendam reservare; eamque ab Episcopo in fundacione vel dotatione probatam sive admittam exigi posse, tanquam indubitatum habent Canonistae auctoritate *Capituli 23. De Jure Patronatus*, ubi statuitur, quod Advocati sive Patroni nihil ab Ecclesia exigere queant, praeter *antiquos & moderatos redditus a locorum Episcopis institutos*. Ad qua verba notat Glossa: „Statui ergo possunt redditus Patrono vice tributis vel *pensionis*.

XI. Quinimo non tantum reservare potest pensio aliunde jus ipsi Patrono ejusve successoribus, sed etiam alicui tertio, si ita Fundatori visum fuerit: cujus exemplum occurrit in *Cap. 16. De Censibus*; & ibi notat Panormitanus.

XII. Possit quoque in fundacione apponi, quod fructus Ecclesiae, quando eam vacare contigerit, cederent Patrono, uti post Glossam ad *Cap. 13. verbo FUNDATIONE De Elest. in 6.* observat de Curte loco citato *num. 7.*

Hic tamen recte monet, Presbyterum sua privata auctoritate non posse Patrono pensionem annuam de novo addicere, aut jam constitutam augere. Imo si intuitu obvienda facilius praesentationis ampliore pensionem addiceret, aut jura Patrono directe aut indirecte augere promitteret, difficulter a vicio Simoniae se eximeret, De quo latius infra titulo *de Simoniacis Beneficiis*.

XIII. Nec tantum pensionem aliquam sibi & successoribus reservare potest Fundator, sed & leges quasdam fundacioni apponere earumque observantiae atque rerum a fo-

collatum conservacioni invigilare totiusque fundacionis curam agere: quemadmodum jam pridem Patres & signanter Concilii Toletani IV. & IX. agnovere.

XIV. In Concilio Toletano IV. *Can. 33.* statuitur: „Episcopos ita Diocesibus suas regere, ut nihil jure praesumat, aut auferre, sed juxta priorum auctoritatem Conciliorum, tam de oblationibus, quam de tributis (vel ut alia lectio habet; *de decimis tributis*) tertiam consequantur.“ *Tertia* enim pars ex consuetudine Hispaniae Episcopo debebatur, cum alibi tantum quarta debebatur; sed de hoc infra titulo De Jure Beneficiatorum ad bona Ecclesiae.

Deinde prosequitur Concilium: „Quod si amplius quippiam ab eis praesumptum extiterit, per Concilium restituetur; appellatibus aut ipsis conditoribus, aut certis propinquis eorum, si iam illi a saeculo discesserint.

Agnoscat igitur Concilium, quod Patrono cura incumbat, ut illibata & integra Ecclesia sua bona conserventur, id quod rursus renovavit Concilium Toletanum nonum, formamque qua suas querelas formare possint Patroni describit *Can. 1.*

XV. Et primo quidem declarat, bona dispensanda esse juxta piam offerendum voluntatem; ac tum subjungit: „Verum ut rei hujus potior soliditas haberetur, condignis filiis vel nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonae intentionis habere solertiam, ut si Sacerdotalem, seu ministrum aliquid ex collatis rebus praeviderint defraudare, aut commonitionis honesta conventionem compescant, vel Episcopo vel judici corrigenda denuntient.“ id est, eum honeste admoneant, ut a dissipandis Ecclesiae suis bonis absteaneat.

Quod si honestam hanc admonitionem aspernetur; permittit Concilium, ut vel *Episcopo, vel judici corrigenda denuntient.*

XVI. Ulterius pergit Concilium: „Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano ejus hac insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis auctoritate (alia lectio, *auribus*) intimare non differant.

Supponunt Concilia tuitionem & curam bonorum Ecclesiae incumbere Fundatoribus sive Patronis eorumque haeredibus; ipsosque etiam auctoritatem Regiam posse implorare contra dispensatores.

XVII. Huc refertur potest ratio Rectorum Angliae, ut asserant, ne quidem a Summo Pontifice immuni & quomodo usurpanti posse patronatuum Ecclesiarum redditus, nec ullam exactionem iis imperari. Item cum Rex Angliae, & Magnates tam jure haereditario, quam bona & appropriata consuetudine habent Jus Patronatus Angliae, & Rectores aut eorum praesentationem instituti nolunt, sicut nec debent, nec possunt, in aliquam contributionem consentire inconsultis Patronis, quia sic possent suis Ecclesiis praesudicium generari.“ Apud M. Paris ad *ann. 1240.*

Neque hodie facile admitteretur notabilis bonorum alienatio, aut Ecclesiis gravamen imponi sine consensu Fundatorum: atque hinc potissimum originem ducit, quod in rerum Ecclesiae alienatione, earum unione, similibusque materiis consensus Regius petatur; utpote qui ut plurimum Ecclesiarum Fundator est, aut creditur.

XVIII. Imo cum de conservandis fundacionibus agitur hodie fere ad solos Judices Regios, pro iis tuendis recurritur. Nam uti monet Franciscus Le Roy in Prologomenis ad titulum De Jure Patronatus *Cap. 27.* „Hodie fundaciones Ecclesiarum dicuntur juris *publici*, cujus executio & conservatio ad Reges pertinet.

XIX. Nec tantum circa bona temporalia, haec Fundatorum sive Patronorum cura versari debet; sed & circa officium Divinum aliaque ex praescripto fundacionis peragenda. „Si Clericus *Divinum Officium* in ea non celebret (ait

Le Roy) juxta ejus fundacionem, Patronus eum vocare debet in jus, ut fundacioni satisfaciatur, eoque casu verius existimarem ipsius Patroni electionem esse, an apud Judicem Ecclesiasticum agatur, quia cum Clerico agitur, & de celebratione divini officii, an vero apud secularem, quia de tuenda & observanda fundacione agitur, quod est secularis jurisdictionis.

Et in hisce Provinciis, uti in Gallia nihil frequentius, quam quod querela de non observatis fundacionum legibus ad Regios Magistratus deferantur, ipsamque officium Fiscale, tamquam juris publici protector, sese immisceat.

XX. At hisce repugnare videtur Synodus Tridentina *Sess. 24. Cap. 3. De Reformat.* decretens: „Patroni vero in iis quae Sacramentorum administrationem spectant, nullatenus se praesumant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiae, aut bonorum stabilitum, seu fabricarum proveniunt immisceant; nisi quatenus id eis institutione ac fundacione competat: sed Episcopi ipsi haec faciunt, & fabricarum redditus in usus Ecclesiae necessarios & utiles, prout sibi expedire magis visum fuerit, expendant.“

XXI. Imprimis Concilia Regia, praevide ad publicationem Concilii Tridentini per has Belgicas Provincias, jussa suum de Decretis *reformationis* de promovere judicium, huic Decreto hanc notam appenderunt: „Excluditur Patronorum officium in visitationibus Ecclesiarum, ornamentorum, bonorum & proventuum, nisi ex ipsa fundacione id iis competat, & res tota committitur arbitrio Episcopi. Iterum hic mentio fit de praesudicio Juris Patronatus laici advertendo, & sufficere Patronos in pacifica possessione esse hujus juris, licet ipsas litteras fundacionis non proferrant, forte deperditas injuria temporis.“

XXII. Cum autem Concilium promulgatum in his Provinciis fuerit, conformiter ad hasce observationes, uti sat patet ex clausula litteris Gubernatricis ad Archiepiscopum Cameracensem inserta; & nominatim notavit Berthrandus Loth in suis Resolutionibus, sequitur, Patronos laicos in possessione sua conservatos esse: quemadmodum usque in hodiernum diem perseverant.

XXIII. Ad haec nullatenus verisimile est, quod Synodus Tridentina sollicita semper inhærere, quantum temporum conditio patiebatur, sacris Canonibus, voluerit curam & vigilantiâ Patronorum pro tuendis legibus fundacionis, Canonum auctoritate stabilitam evertere; sed cavere dumtaxat, ne Patroni, praetextu defensionis Episcopos in officiorum divinarum celebratione, aut Sacramentorum administratione turbarent, aut jura Ecclesiarum sibi appropriarent, conformiter ad Concilia Toletana.

Postquam enim Fundatorum curam & studium in tuendis rebus Ecclesiae excitarent, subjungunt hoc monitum: „Noverint autem conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesiis conferunt, nullam potestatem habere; sed juxta Canonum instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ad ordinationem Episcopi pertinere.“ Haec Toletanum IV. quae eodem sensu, sed fortius expressit Concilium Toletanum IX. Canones utriusque Concilii jam citati referuntur apud Gratianum *Caus. 10. q. 1. Can. 6. Caus. 16. q. 1. Can. 60.* item *Caus. 16. q. 7. Can. 31.*

CAPUT VII.

De Juribus honorificis praecipue Patrono debitis.

1. Quid honor a quo jura honorifica dicuntur?
2. Jura honorifica consistunt in externis honoris sym-

bolis: & qua ad hoc Ecclesia elegerit.

3. Olim jura haec non erant determinata.
4. Enumerantur jura honorifica hodie magis usitata.
5. Credunt plerique Canonistarum Gelasium I. meminisse honoris Processionis.
6. Non videntur Canonistae intellexisse sensum Gelasii.
7. Auctoritate Gelasii nihilominus invaluit honor processionis.
8. Honor hic deferitur subinde recipiendo processionem venientem ad Ecclesiam.
9. Quibus honor processionis hoc modo exhibendus?
10. Subinde deferitur, locum honoratiorem in processione assignando.
11. Honor thuris in quo consistat.
12. Jam pridem etiam laicis delatam.
13. Usus incensi primitus non institutus ad honoris exhibitionem; & quomodo paulatim ad hoc deductus.
14. Aqua benedicta ad honorem exhibendum non instituta; & in quo consistat honor aquae benedictae.
15. Nonnulli volunt sibi porrigi aspergillum.
16. Haec Patronorum postulatio contraria ritibus Ecclesiasticis.
17. Episcopi se hic Patronis opposuerunt.
18. Conforme Arrestum Parlamenti Parisiensis.
19. Ratio ob quam non conveniat laicis tradi aspergillum.
20. Cur conveniat dari Episcopo.
21. In quo consistat honor precum.
22. Patronorum etiam Ecclesiasticorum nomina in precibus publicis recitanda.
23. Fidelium nomina in die anniversaria recurrente recitanda.
24. Toparcha & Patroni praetextu hujus honoris non possunt cogere Parochos ad differendam Divinum Officium.
25. Neque Parochi ad placendum Toparchis aut Nobilibus illud differre possunt.
26. Nonor Sedis in quo consistat; & unde proveniat?
27. Honor Sedis in choro solis Patronis de jure competit.
28. Potest Sedes specialis minoribus Magistratibus & nobilibus concedi in nave Ecclesia; & a quibus.
29. Honor sepulturae in quo consistat?
30. Jura honorifica non tantum Patronis laicis Ecclesiasticis competunt.
31. Patronus Ecclesiasticus non propria, sed Ecclesiae sua insignia apponere potest; & quare?
32. Fundatori jura honorifica debentur, licet non habeat jus praesentationis.
33. Qui jus praesentationis in Ecclesia transtulit retinet jura honorifica.
34. Patronus omnibus aliis, etiam Toparchis quoad jura honorifica praefertur; & quare.
35. Nullus potest habere Sedem aut sepulturam in choro in praesudicium Patroni.
36. Uxor & filii Patroni quali honore gaudeant.
37. Patroni alique laici juribus his gaudentes debent cedere Clero.
38. Circa usum horum jurium multum valet consuetudo.
39. Aliquando tamen tamquam abusus corrigenda.
40. Coram quo quaestiones de his juribus agitanda.
41. Quid Patronis, Toparchis aliisque in usu horum observandum.
42. Qua a Parochis observanda.